

CAPUT XII.

STULTUM EST EA DOCERE CAETEROS, QUAE IPSE
EXPERTUS NON ES.

Quum Hannibal Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exsul: proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si vellet, audiret; quumque se non nolle dixisset: locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris-officio, et de omni re militari. Tum, quum caeteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret? Hic Poenus, non optime Graece, sed tamen libere, respondisse fertur: *Multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.* Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano, omnium gentium victore, certasset, Graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi praecipiunt, videntur: quod enim ipsi experti non sunt, id docent caeteros. —

CAPUT XIII.

ETIAM SENI DISCERE DECORUM EST.

1. Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem, senem fieri dicit, — et supremo vitae die confirmavit. Qui, assidentibus amicis, et quadam de re sermonem inter se conferentibus, satis jam pressum caput erexit, interrogatusque, *Quapropter id fecisset?*